

LA ESTERILIZACION EN LOS HOSPITALES CATOLICOS

Decreto de la Congregación de la doctrina de la fe,
de 13 de marzo de 1975

I

TEXTO ORIGINAL

*SACRA CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI **

DOCUMENTUM CIRCA STERILIZATIONEM IN NOSOCOMIIS CATHOLICIS

RESPONSA AD QUAESITA CONFERENTIAE EPISCOPALIS AMERICAЕ SEPTENTRIONALIS

Haec Sacra Congregatio diligenter consideravit tum problema sterilizationis therapeuticae praeventivae in seipso, tum opiniones ad solutionem eiusdem a diversis indicatas, tum conflictus relativos ad cooperationem sollicitatam pro tali sterilizatione in nosocomiis catholicis. Quaestionibus autem sibi propositis hac ratione respondendum censuit:

1. Quaecumque sterilizatio quae ex seipsa, seu ex natura et conditione propria, immediate hoc solummodo efficit ut facultas generativa incapax reddatur ad consequendam procreationem, habenda est pro sterilizatione directa, prout haec intelligitur in declarationibus Magisterii Pontificii, speciatim Pii XII¹. Absolute, ergo, interdicta manet iuxta doctrinam Ecclesiae, non obstante quacumque recta intentione subiectiva agentium consulendi curae vel praeventioni mali sive physici sive psychici, quod ex praegnatione praevideatur vel timetur eventurum. Et quidem graviore ratione interdicatur sterilizatio ipsius facultatis, quam sterilizatio singulorum actuum, cum illa statum sterilitatis in personam inducat, fere semper irreversibilem. Neque invocari potest ullum mandatum publicae auctoritatis, quae ex titulo necessarii boni communis velit imponere sterilizationem directam, quippe quae laederet dignitatem et inviolabilitatem personae humanae². Pariter invocari non potest in casu principium totalitatis, quo iustificantur interventus in organa propter maius bonum personae; sterilitas enim in se intenta non dirigitur ad personae bonum integrale recte intentum "rerum bonorumque ordine servato"³, si quidem eius bono ethico, quod est supremum, nocet, cum ex proposito privet essentiali elemento praevisam libereque electam activitatem sexua-

* AAS. 68 (1976) 738.

¹ Cfr. praesertim binas Allocutiones ad Unionem catholicam inter obstetrices et ad Societatem internationalem hematologiae, in: AAS. 43 (1951) 843-844; 50 (1958) 734-737; PAULUS VI: *Encycl. Humanae Vitae*, n. 14, *ibid.*, 60 (1968) 490-491.

² Cfr. PIUS XI: *Encycl. Casti Connubii*, in: AAS. 22 (1930) 565.

³ PAULUS VI: *Encycl. Humanae vitae*, in: AAS 60 (1968) 487.